

Octava ratiocinatio, per quam ipsi a nobis rationem poscimus, quare quidquid dicamus, et crebro nosmet a nobis<sup>w</sup> petimus uniuscuiusque propositionis explanationem<sup>33</sup>. Ea est huiusmodi: *Quidquid vernat decoris teneri novitate, magis est delectabile quam vetustatis rubigine maceratum. Quo pacto? Quoniam novelli edificii cuiusque structura pulchritudinis monilibus redimita magis est delectabilis quam affecta senio marcescente, vernalis decor temporis magis applaudit hominibus quam senilis asperitas temporis hyemalis. Quid ita? Quia natura delectationis flamma solempniis amplior<sup>x</sup> magis in novitate renitentibus delectatur. Quid postea? Quia ergo, quod naturale est, alicui<sup>y</sup> impossibile est removeri ab eo, et natura in novitatibus delectatur. Quidquid vernat decoris teneri novitate, magis est delectabile quam vetustatis rubigine maceratum. Vel sic: Omnes, qui manu productili et dextera transitiva effundunt in alios munera gratiose, affectuosioris delectationis sunt brachiis amplexandi quam avaritiae viscoso sterquilinio sordescentes. Quo pacto? Quoniam, qui manus extendunt in alios liberales, sunt emuli caritatis, que nimirum est ab omnibus amplectenda. Quid ita? Quia necesse est, eorum<sup>z</sup>, qui bona sua propria in alios ratione previa disperserint, habundantis caritatem affectionis oculo illos prosequi, quos suarum participes statuerint fortunarum. Quid avari? Avari quippe sunt ut atrocissime bestie fugiendi. Quare? Quoniam, qui sibi ipsi, cum potest, non benefecerit, non est sperandum, quod debeat alicui subvenire. Quid ita? Quoniam avarorum ea est crudelis intentio, ut magis diligant pecuniam quam se ipsos. Quia inde, qui magis pecuniam diligunt propriam quam personam, non moventur spiritu caritatis, et nulli penitus sinceri amoris nexibus coniunguntur, nulli prorsus condolent, nullum relevant, etsi possunt.*

Nona est sententia, que est oratio sumpta de vita, que, aut quid sit, aut quid esse oporteat in<sup>a</sup> vita<sup>b</sup>, breviter ostendit<sup>34</sup>, hoc modo: *Cui cum paupertate convenit bene etc.<sup>c</sup> Non qui parum habet, sed qui plus cupit, pauper est<sup>35</sup>. Item: Diligens celeritas<sup>d</sup> offert multa, que, cum intervenerit,*

---

w) nosmet a nobis] *verbessert aus a nobis nosmet* Hs. x) amplioris Hs.  
 y) *übergeschrieben* Hs. z) cum Hs. a) *übergeschrieben* Hs. b) *übergeschrieben* Hs.  
 c) ei Hs. d) sceleritas Hs.

---

33) Vgl. Rhet. Her. IV 23.

34) Vgl. Rhet. Her. IV 24.

35) De paupertate. Excerpta e Senecae epistulis, in: L. Annaei Senecae opera ed. F. H a a s e 3 (1872) S. 458: *Cui cum paupertate bene convenit, dives est. Non qui parum habet, sed qui plura cupit, pauper est.* – Auch eines der Beispiele, die Her. IV 24 für die sententia bringt, weist thematische Ähnlichkeit auf.